

hic et per Bohemiam ac caeteras haereditarias
suae Imperatoris
provincias Vicarii generalis.

Pragae 17. Julii 1688.

Ex archivo abbatiae de Tongerlo : *Ordo in genere.*

* * *

RELATIO VISITATIONIS APOSTOLICAE
MONASTERII KNECHTSTEDENSIS. — 1617.

L'Histoire des Papes de Pastor au tome XII ¹⁾ nous donne le tableau du renouveau catholique dans la Rhénanie, sous l'impulsion du nonce Antonio Albergati. Le document que nous publions ici se rapporte à l'action entreprise par ce nonce en faveur de la restauration monastique en corrélation avec l'application du Concile de Trente.

Tongerloo.

A. ERENS O. Praem.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Cum serenissimus ac Reverendissimus Princeps ac Dominus D. Ferdinandus, sanctae Coloniensis ecclesiae electus et confirmatus Archiepiscopus, Sacri Romani Imp. per Italiam Archicancellarius ac princeps elector, S. Princeps ac Dominus noster clementissimus ; item Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Antonius Albergatus Episcopus Vigiliarum sanctissimi Domini nostri Pauli papae V ac sedis apostolicae ad partes Inferioris Germaniae et per tractum Rheni cum potestate legati de latere nuntius, nobis infrascriptis commissariis seu visitatoribus clementissime et serio commisissent ac mandassent, celebre monasterium Ordinis Praemonstratensis et archidioceseos Coloniensis in Knechtsteden visitare, reformare eaque omnia statuere, ordinare et facere quod praesens monasterii status postulare videbitur, quaeque ipsi antememorati Domini committentes si praesentes essent statuere, ordinare et facere possent.

Putavimus tam seriae et salutari antememorum dominorum commissioni, pro ea quam debemus subiectione et obedientia, perquam reverenter esse parendum. Venimusque anno a Christo nato

1) *Geschichte der Päpste*, t. XII, p. 550 et suiv. Freiburg i. Br. 1927.

supra millesimum sexcentesium decimo septimo, die septima mensis Junii ad dictum monasterium, ac postridie hora circiter octava matutina, Reverendissimo Patre Abbate reliquisque patribus ac fratribus ejusdem monasterii professis in conventuali coenaculo obedienter comparentibus, intentionem antememoratorum dominorum committentium et causam nostri adventus ut prius per citationem in scriptis legitime transmissam et insinuatam, ita tunc verbotenus explicavimus et commissionem nostram publice praelegi curavimus, cui sese omnes reverenter ac promptissimis animis subjecerunt. — Quare praevis debitis ac necessariis inquisitione, inspectione ac deliberatione, tandem sequentes ordinationes sive decreta et autoritate Dei Omnipotentis atque antememoratorum dominorum principalium committentium sancimus, ordinavimus, observari mandavimus, ac per praesentes sancimus, ordinamus, observari districte mandamus.

In primis, quoniam sub moderno Reverendo D. Abbate Hilgero Cremerio monasterium tam in temporalibus quam in spiritualibus, temporum difficultatibus ac bellorum injuriis, nonnulla etiam ipsius imbecillitate plurimum defecit, atque extremae ruinae proximum est, nec vero ut sub ejus moderatione ceu regimine in pristinum statum restituatur, ac etiam in hoc qualicumque conservetur spes apparet, ob hanc aliasque justas ac graves causas animum nostrum moventes, habentes justitiam, timorem et honorem Dei, item bonum et utilitatem ecclesiae Christi et hujus monasterii ob oculos et communicato cum universis ac singulis fratribus praesentibus ac vocem in capitulo habentibus consilio, ac de eorundem expresso consensu, voluntate ac suffragio, Domino Abbate etiam super omnibus et singulis ipsi objectis sufficienter audito, Dominum Abbatem omni potestate atque autoritate regendi atque administratione tam in temporalibus quam in spiritualibus privavimus ac per praesentes privamus, fratres ab ejus obedientia absolvendo, ac dicto Domino Abbati sub omnimoda privationis seu depositionis ab officio ac dignitate ac gravissime indignationis Deo omnipotentis, ac Serenissimi Reverendissimique D. Archiepiscopi ac Principis electoris Coloniensis, aliisque poenis serio et severe mandando ne se deinceps ulla ratione dicto regimini sive administrationi intromittere seu coadjutorem quovis modo, praetextu vel colore, directe vel indirecte, per se vel per alios turbare aut fratres contra eum incitare aut fovere audeat. Item ne alio extra monasterium proficiscatur aut ullum debitum contrahat, aut ullos externos sive hospites invitet aut recipiat, aut quicquam vendet, donet ceu quovis modo alienet,

sine scitu et expresso consensu aut mandato coadjutoris, declarantes quidquid attentatum factumve fuerit, irritum fore, inane et nullum, nec monasterium de ullo pacto obstringi; prohibentes etiam monasterio sive coadjutori ullum aes alienum quod deinceps per Dominum Abbatem sine suo expresso consensu aut mandato contrahetur solvere. Volumus nihilominus et decrevimus, salva jam facta declaratione, ut dignitas illi maneat, pontificalia exerceat, Abbatis titulum, sessionem et honorem retineat, omnes fratres ei reverentiam consuetam et per statuta praescriptam exhibeant.

Venerabilem Patrem Priorem ac Provisorem hujus monasterii, Leonardum Teneren communi fratrum consensu ac suffragiis in coadjutorem et administratorem cum spe successionis electum, nos pariter nomine et authoritate Dei omnipotentis atque antememoratorem Dominorum principalium sive committentium, atque in virtute nostrae commissionis eligimus, constituimus, confirmamus et approbamus, omnem potestatem regendi, omnemque administrationem tam in spiritualibus quam in temporalibus in eum transferendo eique districte sub obedientia praecipiendo, ut intuitu honoris divini et utilitatis Ordinis ac monasterii sui onus hoc in se recipiat et sic administrare allaboret, quemadmodum horum temporum atque imprimis hujus monasterii conditio ac necessitas et zelus ipsius postulant, nosque ei confidimus; pollicendo vicissim Serenissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi ac Principis electoris Coloniensis Principis ac Domini nostri clementissimi gratiam, assistentiam ac protectionem nostramque operam ac opem. Fratribus vero univris et singulis severe mandamus ut praedicto Domino Coadjutori honorem, reverentiam atque obedientiam in omnibus tanquam veri obedientiae filii deferant et sic onus alioquin certe gravissimum humeris ejus impositum levius et tolerabilius efficiant. Quod promptius eoque libentius facturos confidimus, quod necessitatem sui monasterii satis superque perspectam habeant, et Dominum Coadjutorem ipsi concordibus animis ac votis petiverint, facileque pro suo zelo et prudentia intelligant atque perpendant per inobedientiam suam et discordiam fore ut non modo Deus gravissime offendatur ipsique gravissimum peccati mortalis reatum ac proinde aeternam damnationem incurrant, verum etiam ut monasterium jam satis afflictum penitus collabatur et concidat.

Deinde confirmamus omnia et singula statuta, quae supradictus Illustrissimus Nuncius Apostolicus in visitatione anno millesimo sexcentesimo duodecimo sanxit, demandantes eorem executionem Domino Coadjutori.

1. — Nominatim vero et in specie repetimus et observari mandamus, quod ordinatum est de capitulo culparum, volentes illud secundum praescriptum statutorum ordinis servari et D. Coadjutorem quoties per occupationes ulla ratione licebit illi assistere ac sua praesentia et autoritate disciplinam promovere.

2. — Deinde mandamus ut D. Coadjutor spatio duorum mensium inventarium seu registrum omnium bonorum hujus monasterii tam fixorum quam mobilium tam in superlectili quam in aliis rebus, tam hic quam alibi existentium. Item omnium debitorum conficiat ceu conficiendum curet et nobis exhibeat.

3. — Adhaec praecipimus habitum Ordinis sub poena peccati juxta regulam una cum scapulari assidue a fratribus ubicumque locorum existentibus deferri, nisi periculum imminens aliud postulerit.

4. — Praeterea interdiciamus tam D. Abbati et Coadjutori quam aliis fratribus, etsi pastoratus, aut prioratus aut praelaturas administrent, ne imposterum suscipiant pueros de sacro fonte baptismali; item ne ad nuptias seculares vadant. Nam praeterquam quod hoc solet esse causa multorum peccatorum et scandalorum et religionis auctoritatem et reverentiam apud seculares plurimum minuit, etiam valde sumptuosum est, et modo omnibus sollicitè cogitandum et allaborandum existimamus, et in Domino monemus quomodo praesenti necessitati monasterii succurrant atque illud in pristinum vigorem ac nitorem tum in temporalibus tum in spiritualibus paulatim restituatur.

5. — Insuper mandamus ut in hospitibus atque externis recipiendis ad tractandis ita christiana exercetur charitas, ut religiosorum non violetur modestia et sobrietas, vitentur omnes commensationes et ebrietates, et ut hospites discant sic esse scholam et seminarium virtutum, non officinam vitiorum, atque hinc aedificati non scandalizati abeant; et ne peculium Christi diabolo magis quam Deo inserviat ac impendatur. Nolumus autem ullorum hospitem vel amicorum occasione disciplinam monasticam dissolvi et fratres confabulationibus et vanis mundanisque colloquiis assuescere; idcirco sancimus ne ullus ex fratribus cum externis solus conversetur nisi sint personae utrimque tales in quas nulla sinistra cadat suspicio et honestatis causa aliter fieri non possit et superiorum accedat consensus.

6. — Quo vero haec accuratius servantur sine quibus religiosa disciplina aut nunquam restituetur aut conservabitur, optamus et hortamur ut D. Coadjutor quando per occupationes suas potest,

frequenter intersit mensae communi et choro, in communi dormitorio una cum provisorio dormiat, cellas fratrum non modo per priorem secundum statuta Ordinis visitari faciat sed et ipse nonnunquam visitet. Ad summum omnibus viribus ingenii et corporis id praecipue agat ut vera pietas et vita religiosa sollicite et efficaciter animis fratrum inseratur, certus quod ut spiritualia sine temporalibus subsistere nequeant, ita esse temporalia propter spiritualia, illaque his subservire debere, et non contra, et si spiritualia recte curentur, temporalia nunquam defutura. Cum firma stet Dei sententia dicentis : Si volueritis et vocem meam audieritis (Isaiae, 1), et iterum : Quaerite primum regnum Dei et reliqua adjicientur vobis.

7. — Decernimus etiam ut primo quoque tempore alius prior constituatur qui in conservanda religiosa disciplina vices coadjutoris suppleat eamque diligenter promovere studeat.

8. — Cum gravissimus, intolerandus ac juri divino ac naturali repugnans sit abusus ad pastortus aliasve animarum curas ac regimen mitti eos, qui ad id inepti sunt, morosi, fastidiosi, rebelles, eum per praesentes tollimus ac interdicimus atque ordinamus ac declaramus ut ad supradictas curas ceu regimen, ita etiam ad officia monasterii, seposito omni privato affectu aut respectu, digniores et magis idoneos pro ratione officiorum semper debere eligi ceu designari.

9. — Demum mandamus ut domus pro infirmis quamprimum constituatur eorumque accurata ratio et cura habeatur, uti eorum necessitas et christiana fraternaue charitas exigit. Optamus et rationem inveniri posse ut saeculares poenitus e refectorio excludantur ac monemus D. Coadjutorem ut diligenter ea de re cogitet : ut vero deinceps alii admittantur plane interdicimus.

Has praesentes ordinationes, hoc scripto comprehensas, hac die indecima Junii anno ut supra, in dicto monasterio Knechtsteden, Reverendo D. Abbate, D. Coadjutore, reliquisque religiosis fratribus in refectorio conventuali congregatis publicatas et acceptas, nos commissarii, nomine et autoritate Dei et antenominatorum dominorum principalium ceu committentium, vi commissionis supradictae decrevimus, sanximus, ordinamus et districte observari praecipimus.

In cujus rei fidem ac evidens testimonium praesens decretum a nobis subscriptum consueto sigillo nostro communivimus. Datum in monasterio Knechtstedensi, anno ut supra, die undecima Junii.

Archives de l'abbaye de Tongerlo : *Abbayes étrangères.*